



# **Specimen medicum inaugurale continens nonnullos casus morbi Brightii, observatos in Nosocomio Amstelodamensi**

<https://hdl.handle.net/1874/318998>

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

CONTINENS

NONNULLOS CASUS MORBI BRIGHTII,

OBSERVATOS IN NOSOCOMIO AMSTELODAMENSI.

STUDIIUM MEDICINAE

CONSTITUTIONE

NONNULLOS CASUS

MORBI BRISITII

OPERATIONE IN HOS CASUS A NOSTRO DOCTORE

1800

AVANTI SEQUE NUNTIUM

ET ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

PROFESSORI CAROLO DE WILHELMIS

IN HONOREM SUUM

1800

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

PROFESSORI CAROLO DE WILHELMIS

PRO GRADU DOCTORATUS

IN HONOREM SUUM

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

1800

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

PROFESSORI CAROLO DE WILHELMIS

1800

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

1800

1800

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

1800

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,  
 CONTINENS  
 NONNULLOS CASUS  
**MORBI BRIGHTII,**  
 OBSERVATOS IN NOSOCOMIO AMSTELODAMENSI,  
 QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,  
 EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,  
**Francisci Cornelii Donders,**  
*Med. Doct. et Prof. Extraord.*

NEC NON  
 AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
 ET  
 NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
 SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
 IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,  
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,  
 PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT  
**HENRICUS GUILIELMUS CRAMER,**  
 AMSTELAEDAMENSIS.

DIE XXI M. JANUARI MDCCCLIII, HORA I.  
 IN AUDITORIO MAIORI.



AMSTELAEDAMI,  
 APUD C. G. VAN DER POST.  
 MDCCCLIII.

MONTE CARLO

1850

MONTE CARLO

1850

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

MONTE CARLO

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS,

S.



---

## P R A E F A T I O.

---

*Inter morbos, qui in patria nostra haud raro occurrunt, morbus nomine Brightii insignitus memorari quoque meretur.*

*Dum forte accidisset, ut, tempore quo mihi Clinicis lectionibus in Nosocomio Amstelodamensi frui contigit, magnus esset numerus hoc malo laborantium, haud alienum a me putavi, memor illius BOYERIANI: "Plus une maladie est commune, plus il faut l'étudier, parce que dans la pratique elle se présentera plus souvent que toute autre," magnam navare operam huic morbo observando, ut, lauream doctoralem adepturus, nonnullos casus in specimine inaugurali referrem.*

*Haec de origine speciminis, quod ut aequo et benigno animo accipiat Lector Humanissimus, si quis forsitan huic libello contingat, precor. Indulgeat virium tenuitati iuvenis vix limina medica ingressi, si incidat in nonnulla, quae aut non satis ample exposita, aut minus recte expressa sibi videantur.*



*Ipsi casus nunc exponendi forent, nisi dulce atque  
pium mihi restaret officium, gratias nempe agendi quas possum  
maximas Praeceptoribus aestumatissimis, Viris Clarissimis TI-  
LANUS, SURINGAR, VAN GEUNS, VOORHELM SCHNEEVOOGT,  
VROLIK, MIQUEL, MATTHES, VON BAUMHAUER. Vos omnes  
gratias, quas ex intimo corde refero maximas, accipiat velim  
pro eximia vestra institutione, pro consiliis monitisque vestris  
uberrimis, pro benevolentia, qua me excepistis! Semper haec  
grato animo recordabor, semper haec gratus agnoscam.*

*Tibi praecipuis Vir Clar. VAN GEUNS! obstrictum me sentio  
pro utilissimis tuis consiliis, pro multis insignibus favoris  
documentis, pro egregia ope, quibus in hoc specimine con-  
scribendo me adiuvare non dedignatus es.*

*Vobis quoque gratias dico, Viri Clarissimi Nobilissimae  
Facultatis Medicae in Academia Rheno-Traiectina, tibi im-  
primis Vir Clar. DONDEERS, aestumatissime Promotor, pro be-  
nevolentia qua, quotiescunque studiorum casu Vos adii,  
me recipere voluistis!*

*D. O. M. Vobis omnibus vitam longam beatamque concedat,  
in scientiarum decus, in iuventutis studiosae emolumentum,  
in salutem omnium eorum, quibus cari estis!*

CASUS MORBI BRIGHTII,  
OBSERVATI IN NOSOCOMIO AMSTELODAMENSI.

---

C A S U S I.

---

*Morbus Brightii, Hydrops, Pleuritis, Mors.*

JACOBUS, JOANNES, H., *baiulus*, 45 annos natus, constitutionis sanguineae, ex urbe *Amstelodami*, antea secunda valetudine fructus erat. Ante duos autem annos, bis contraxerat gonorrhoeam Balsami Copaivae usu sanata. Quinque abhinc hebdomades crura et scrotum tumefacta sunt; cuius intumescendiae tamen nullam causam arguere potest.

Cum die 29 m. Martii 1852 recipitur, vultum prae se fert serenum, facies est colore sano, utriusque pedis et cruris oedema et adeo tumefactum scrotum; ut infantis recens nati caput magnitudine adaequet. Examen physi-

cum organorum thoracis et abdominis vitium ostendit nullum. Nullus dolor in regione renali ne pressione quidem. Lingua leviter obsessa, ciborum appetitus bonus, alvus normalis. Pulsus tardus, mollis, ictuum 65. Urina, quae copia unc. med. 20 quotidie excernitur; ipso temporis puncto quo prodit, est limpida; postquam autem per parvum tempus vase contenta est turbida fit et vasis fundum sedimentum petit; quod maximam partem salibus *Acid. Urici* constare patet. Praeterea urinae multum albuminis, coagula fibrinosa tubiformia, multae cellulae cum contento granuloso et cellulae in adipis metamorphosi versantes insunt, insuper epithelium tessellatum.

Propinatur Julap. acidul.

Per duas septimanas melior vitae status.

*Die 20 m. Aprilis*, tempore matulino in tali conditione offenditur: Facies est livida, tumida, querelas de respiratione angusta et anxia atque de dolore pectoris, quasi constringente movet, tussis brevis, humida, nulla fere expectoratio. Pulsus perparvus, frequens, ictuum 120. Extrema frigent et livida sunt. Lingua exsudato gastrico obtecta. Urinae excretio admodum parca, unc. med. 7 per nycthemeron. Percussione instituta patet: in sinistro thorace ab apice pulmonis ad 4<sup>am</sup> costam usque, sonum esse vacuum, inferiora versus plane obtusum. Auscultatione nullus strepitus vesicularis percipitur; in apice tantum respiratio tubaria. Cor dextrum latus versus protrusum; quo soni audiuntur obtusi, cum levi strepitu in sono

primo. Micat totus thorax cordis ictu. In thorace dextro strepitus vesicularis asper et rhonchus mucosus. Nullus a norma recedens sonus, percussione ope in hacce thoracis parte accipitur.

Praescriptum Calomel (gr. vi in Pulver. n<sup>o</sup>. xij); brevi autem post demulcentia et expectorantia.

In proveciori morbi decursu, digestionis functio sensim sensimque laeditur, alvus prodit liquida, emaciatio et collapsus de die in diem maior, infiltratio extremorum inferiorum adaugescit. Nata quoque manuum et utriusque brachii intumescencia. Excretio urinae raro normali, nunquam aucta quantitate fit; sed plerumque parca copia mingit aeger. Est urina insuper turbida, aquae limosae persimilis, albumen et elementa microscopica eadem, quae iam supra memoravi, adhuc continet. Nulla mutatio in organorum respirationis conditione, imo vehementia adaucta dyspnoea, tussi molestae nullique expectorationi nupta. In sinistro tantum latere iacere potest. Si modo, sive ab aegro, sive aliena cura, conatus ad decumbendum in dextrum latus instituantur, in humero sinistro gravissimo cruciatur dolore.

*Die 25 m. Maii.* Symptomata hectica. Facies livida mixta colori flavo, genae circumscripte rubescentes, alvus liquida, urinae excretio perparca.

*Die 1 m. Junii.* Vomituritio, extrema livida et frigida, alvus liquida nullis remediis extinguenda; fere nulla excernitur urina, pulsus perparvus filiformis.

In tali conditione manet aeger et sub noctem diei 8 *m.*  
*Junii* de vita decedit.

*Sectio Cadaveris horis 36 post mortem.*

Cadaver valde emaciatum, praesertim in facie cuius ossa tantum cute obduta videntur. Extrema cum superiora, tum inferiora oedemate adhuc tumida. Patrefactio incipiens.

In thorace dextro perparva seri limpidi copia invenitur. Pulmo dexter undique liber, tela normali. M. mucosa tracheae et bronchorum anaemica, in divisionis bronchorum locis sero infiltrata. Thorax sinister libr. 6. Neerl. liquoris spissi, purulenti continet, in quo fila fibrinosa multa observantur. Pleura hanc thoracis partem circumvestiens undique villis caseo-fibrinosis praedita. Diaphragma adeo deorsum protrusum; ut inde in thorace receptaculum formatum sit. Pulmo ad pericardium adpressus, taeniae longitudinalis adspectum refert; in parte superiori ad costam 2<sup>am</sup> usque, pseudomembranis parieti thoracico affixus. Tela ipsa laxa, aëre prorsus destituta, nigro-grisei coloris, qui manifesto a pigmenti depositione pendere videtur. Inter utrosque lobos linea separationis, albi coloris, structurae ligamentosae. In pericardio circiter unc. 3 med. seri sanguinolenti. Cor ad dextrum latus pro-

trusum. In sinistra cavitate parva liquidi sanguinis copia; in neutra coagula fibrinosa. Sinistri cordis parietes aliquanto incrassati, trabeculae valde evolutae, valvulae colore atro-rubro imbibitae; in a. aorta prope valvulas semilunares maculae atheromatosae. Cor dextrum, pariete normali; valvulae eandem atque in corde sinistro mutationem subiere.

In abdominis cavo parva seri sanguinolenti copia. Intestinorum superficies externa, uti quoque omentum coloris atro-purpurei, qui partim imbibitioni, partim vasis vasculisque sanguine confertis est tribendus. Glandulae meseraïcae tument. M. mucosa ventriculi, intestinorumque nulla memoratu, digna praebent. Hepar magnum, tela firma. Hepatis cellulae clarae, granulis adipis valde repletae. Vasa sanguine tument, qui hepate inciso guttatim emanat. Vesicula fellea satis magnam atro-brunei fellis copiam tenet. Lien mensura normalis, mollis, pul-taceus, coloris rubro-violacei.

Renēs magnitudine normales, laxi. Capsula haud sine parenchymatis laesione divelli potest. Superficies externa granulis *sem. papav. albi* magnitudine obsita. Investigata ope microscopii, haecce granula constare videntur: magna adipis copia, tubulis valde repletis et nonnullis concremen-tis materiei anorganicae crystallisatae. Substantia cum cor-ticalis tum tubularis hyperaemica, aqua abluta et breve tempus aëri exposita atro-virentem colorem accipit. Utri-usque substantiae limites distingui possunt. Substantia corticalis lardacea, punctis albis praedita; substantia tubu-

laris laevis, in basi plumae ad instar disposita. Tubuli e substantia corticali ope microscopii apparent repleti massa crystallisata. Glomeruli undique tecti graniosculis, quae adipe et materie anorganica constant. Pyramidum tubuli partim sanguine repleti, partim adspertum praebentes membranarum hyalinarum, perparvam copiam cellularum cum contento granuloso tenent. Renum pelvis colore rubro imbibita, magnam arenulae coloris ochracei, copiam tenet, quae solum Acid. Nitr. diluto et calefacto solvitur.

Vesica urinaria normalis. Inest exigua urinae quantitas. Sanguis in cadavere est tenuis, coloris rubro-violacei.

## C A S U S II.

*Gastralgia, Morbus Brightii, Hydrops, Hydrothorax,  
Mors.*

PETRONELLA S., 45 annos nata, femina nupta, constitutionis lymphaticae, die 28 m. Januarii 1852 in Nosocomio S<sup>cti</sup> PETRI auxilium petit, propter dolores in regione ventriculi vehementes. Sicuti narrat, abhinc 26 annos valetudine infirma fructa est; questus autem de symptomatibus maxime conspicuis aut molestis nunquam movit.

Est aegra valde emaciata, facie lurida. Digestionis functio perparum laesa, nulla emesis, alvus regularis. Dolor in regione ventriculi, qui pressione non augetur. Fluxus uterinus profusus. Exploratione per vaginam nulla a norma recedentia inveniuntur. Quiete, diaeta leviter nutriente, usu Solut. Alcalina (Subcarb. Sodae) et Emulsion. Amygdalin., aegrotantis valetudo in dies melior fit, et *primis m. Februarii diebus* satis bene sese habet.



*Die 10 ejusdem mensis* autem, cum tempore matutino visitatur; quam maxime mutata aegrae conditio: Facies enim simul cum extremis cum superioribus, tum inferioribus oedemate valde turgida, vultus anxietatem summam exprimens. Questus de respiratione ad suffocationem usque angusta, profert. Pulsus frequens, parvus, vix sentitur. In thoracis sinistri parte inferiore sonus plane obtusus percipitur; nullus strepitus respiratorius, bronchophonia et respiratio tubaria. Superiora versus ubi sonus percussione minus clarus, respiratio puerilis; ita quoque in thoracis parte dextra, quae tamen digitis percussa, sonum haud vitiatum reddit. Cor latus dextrum versus propulsum. Soni minus clari solito aure percipiuntur.

Propinatur decoct. e rad. Althaeae c. Spirit. Amm. anis.

*Sequentibus quoque diebus* demulcentibus et expectorantibus remediis utitur.

Per *duas septimanas* circiter in tali conditione versatur aegra, cum nausea vomitusque accedunt; quae symptomata aptis remediis tolluntur. Quae tunc temporis excernitur urina, magna est copia et multum albuminis continet.

*Die 10 m. Martii.* Dyspnoea aucta, aegra prona genibus effulta sedit. Sopor, sitis vehemens, urinae excretio perparca, reactionis acidae, coloris pallide-flaentis, cum multo albumine. Microscopice investigata urina, inveniuntur multa coagula fibrinosa, inter quae distinguuntur nonnulla membranas hyalinas tubiformes referentia, cel-

lulae epitheliales multae, adipis granula, cellulae cum contento granuloso cet.

*Die 20 ei. m.* Gravis diarrhoea.

*Die 29 ei. m.* Respiratio adhuc angusta, collaris. Al-  
vina depositio per triduum non obtinuit.

Eadem fere conditione, *sequentibus diebus*, correpta  
iacet aegra. Collapsus in dies maior, adaugescit quoque  
sopor et *die 8 m. Aprilis* succumbit.

---

*Sectio Cadaveris horis 36 post mortem.*

Oedema extremitatum et superiorum et inferiorum ad-  
huc exstat.

In thorace sinistro unc. 64 med. seri limpidi. Pulmo  
sinister posteriora versus propulsus eiusque volumen ad-  
modum compressum. Ipsa tela, telam muscularem refe-  
rens. In thorace dextro, copia seri unc. med. 20 cir-  
citer. Inter utrasque plenrae laminae adhaesiones veterum  
pseudo-membranarum cernuntur. Pulmo ipse, totus oede-  
matusus, emphysemate in marginibus excepto. In peri-  
cardio unc. 4 seri limpidi. Cor thoracem dextrum versus  
protrusum, hypertrophicum in parte sinistra, maculis flavis,  
duris, in sectione transversa praeditum. Valvulae haud  
vitiatae. Cor dextrum sanum.

Hepar et magnitudine et tela normali. Vesicula fellea  
tenui flavo-viridi bile repleta.

Lien mensura normalis, coloris atro-rubri, laxus. Per totum tractum intestinale vasorum capillarum iniectio.

Ren sinister parvus, longus 2.5, latus 4.5, c.m., forma valde irregulari. Hyperaemia substantiae corticalis et medullaris tanta, ut vix una ab altera possit distingui.

Ren dexter magnitudine normali easdem ac sinistri renis notas ostendit. Vesica urinaria contracta, perparcam urinae copiam tenet.

### C A S U S III.

---

*Morbus Brightii, Hydrops, Pneumonia, Reconvalescentia.*

FRANCISCUS W., *Groningae* natus, *nauta*, annum vitae agens 35, architectura bene evoluta, capillis bruneis, oculis coeruleis, die 7 m. Junii 1852 in *Nosocomium* receptus est.

Narrat se antea semper valetudine secunda gavisum; in itinere in *Norvegicum*, vere facto, morbo correptum, ibique cum appulisset, hydrope curatum.

Die 4 m. Junii in patriam redux, querelas de dedolatione, crurum intumescencia, feбри atque tussi movet, quapropter auxilium implorat.

Facies est tumida, rubra. Lingua exsudato gastrico-catarrrhali obteeta. Pulsus frequens, durus. Magna dyspnoea, tussis brevis humida, sputorum ruforum expectorationi iuncta. Examine physico thoracis instituto, haec offenduntur: In thorace cum dextro tum sinistro inde a

papilla ad inferiora usque, sonus obtusus percussione percipitur; pars autem supraiacens sonum a norma non recedentem reddit. In thorace, quo sonus iste obtusus percussione, bronchophonia et respiratio tubaria coniuncta rhoncho mucoso; ceterum in thorace strepitus vesicularis asper. In abdomine digitis explorato, cernitur liquoris fluctuatio. Extrema inferiora oedemate tumida.

• Post venae sectionem largam institutam mox melius se habet aeger. Insuper propinantur demulcentia.

*Die 8 m. Junii.* Alvus liquida. Propter parcam urinae excretionem, exoptata accuratior indagatio aestimatur et investigatione in urina praeter multum albumen, coagula e tubulis renum uriniferis, quorum nonnulla hic et illic epithelio praedita, cellulae epitheliales variae magnitudinis et formae, nonnullae in adipis metamorphosi, inveniuntur. Refert insuper adspectum turbidae aquae.

Praescribitur Solut. Emolliens.

*Die 12 m. Junii.* Cura expectativa et diaeta apta, copia largiore mingit aeger. Urina ipsa magis limpida et albumine carens. Fere nulla tussi opprimitur aeger; expectoratio exigua. Percussione et auscultatione soni parum a norma recedentes audiuntur. Lingua pura, humida. Bene appetit. Abdomen non amplius tumefactum, alvus prorsus normalis. Adspectus etiam aegri, de die in diem melior.

*Die 7 m. Julii* valetudine satis bona gaudens exit *nauta*.

## C A S U S IV.

### *Morbus Brightii, Hydrops, Reconvalescentia.*

J. M. v. N., 33 annorum, femina nupta, constitutionis lymphaticae, durante graviditate, quae fuit secunda, laboravit intumescencia utriusque pedis et cruris <sup>1)</sup>. Urina per illud tempus copia vitae sanae congrua prodiit. Menses abhinc duos diarrhoeam contraxit. *Die 21 m. Januarii* 1852 partum immature enixa est. Partus tamen nullis rebus memoratu dignis comitatus.

Cum *die 29 m. Januarii* in *Nosocomium S<sup>cti</sup> PETRI* recipitur, facies est pallida et tumida, pedes et crura oedemate affecta. Abdomen ambitu solito maius, dolore tamen carens. Genitalia externa pertumida. Examen physicum thoracis nullas laesas functiones organorum respirationis aut circulationis ostendit. Palpatione hepar extra dextrum

<sup>1)</sup> Quamdiu haecce aegrae conditio obtinuerit, resciscere non potui, quippe cum ipsa exacte statuere nequirit.

hypochondrium prominere observatur. Cutis sicca, arida. Pulsus parvus, frequens. Lingua humida, marginibus rubris, crasso exsudato mucoso obsessa. Nulla appetit. Alvus liquida. Urinae excretio larga. Ipsa urina albuminis dives.

Praescribitur remedium demulcens.

*Die 1 m. Februarii.* Brachium dextrum atque manus firmiter tumidum et dolorificum. Per labia maiora et minora obtinet seri transsudatio. Vexatur insuper aegra angina et per artus dolore tam vehemente; ut omnem corporis motum timeat. Turbidus et interruptus somnus. Alvina depositio adhuc liquida. Urina albuminifera, quantitate unc. med. 12 per nycthemeron excreta, amplum sedimentum tenet. Microscopii ope multa coagula fibrinosa et cellulas epitheliales e renum tubulis uriniferis videmus.

Propinatur Solut. Emoll. c Laudan. liq. Sydenh. gtt. xii.

*Diebus proxime sequentibus,* in eodem fere valetudinis statu aegra versatur. Dolor faucium et diarrhoea tamen cessaverunt.

Ad urinae secretionem promovendam Sol. Tart. Boraxati praescribitur.

*Die 20 m. Februarii.* Intumescencia brachii et manus prorsus decrevit. Extremorum inferiorum oedema perquam attenuatum. Somnus quietus et placidus. Ciborum appetitus reversus. Lingua pura. Larga copia (unc. med. 120—130) mingit, albumen tamen et elementa microscopica

iam supra memorata continet. Si in urina Acid. Nitric. instillabamus, praeter albuminis praecipitatum, colorem rubrum in ea oriri observabamus, qui primo violaceus, dein cyaneus fiebat. Eundem colorem Acid. Hydrochl. ope nanciscebamur.

Praeter solutionem Tart. Boraxati nunc praescribitur Extr. c. Peruv. in mixtura et diaeta magis nutriens.

De die in diem aegrotantis valetudo nunc melior. Extremorum inferiorum oedema penitus evanescit. In singulos dies albumen in urina minori copia reperitur; tandemque deficere incipit. Digestionis functio non amplius turbata, ad normam accedit et rogatu, *die 24 m. Aprilis* e Nosocomio dimissa.



## CASUS V.

### *Morbus Brightii, Hydrops, Enteritis Chronica, Mors.*

HENRICUS JACOBUS S., annos natus 44, constitutionis lymphaticae, habitus cachectici, victum quaerens *bavulando*, die 11 m. Augusti 1851 Nosocomium huius urbis adiit, implorans auxilium propter gravem diarrhoeam.

Quae de praegressa eius vita ex ipso accepimus huc redeunt: Vitam sanus vixit ad autumnum anni 1850 usque. Tum per aliquod temporis spatium febre intermittente laboravit, universo hydrope excepta. Ex illo tempore, nunquam plane reffectus, per totum annum isto malo vexatus est, donec exeunte mense Julio h. a. hydropis symptomata subito discesserunt, nata gravi diarrhoea, quae una cum universo collapsu in dies ingravescit.

Cum in Nosocomium recipitur, in tali conditione versatur S., : Magna est dedolatio et dysphoria. Vultus expressio tristis et anxia. Vox rauca. Appetitus ciborum prostratus.

Sitis magna, praesertim noctu. Somnus interruptus et turbidus. Lingua intense rubet, attamen madida. Molle ad attactum abdomen, dolore vacat. Levis gradus fluctuationis cernitur. Intestinorum borborygmi vehementes. Margo hepatis extra hypochondrium non percipitur. Saepius per diem alvus deponitur liquida, absque sanguine. Urina, quae copia conditioni sanae propria excernitur, est coloris flavi, turbida, albuminifera. Tussis levis. Expectoratio sputorum nulla. Percussionis ope, patet: sonum prorsus esse normalem. Strepitus respiratorius naturalis in thorace dextro; in thorace sinistro strepitus vesicularis asper. Pulsus parvus, frequens.

Praescribitur Solut. Emolliens.

*Die 14 m. Augusti.* Ortum oedema utriusque pedis et cruris. Ructus gaz hydrothionicum olentes.

*Duos menses* circiter in eadem fere valetudinis conditione versatur aeger. Per *illud tempus* curam plerumque adhibere in malum intestinorum coacti sumus. Quippe cum diarrhoea esset vehemens, nunc Clysmate amylaceo, nunc demulcentibus, subinde quoque Nitrate Argenti usus est. Ventris torminibus valde urgentibus, Opiata demulcentibus addidimus. Postea, cum symptomata septica valde premerent, Aq. Chlorata propinata.

*Initio mensis Octobri,* oedema extremitatum inferiorum firminus, quod, cum valde sit tensa cutis, gravem aegro affert dolorem; insuper hic illic fissa epidermis. Tumefacta quoque facies, nec non superiorum extremitatum

ortum oedema. Diarrhoea aliquanto minor. Urina copia parca prodit, continet albumen (3,28 in 1000 p<sup>s</sup>). Microscopii ope in urina reperiuntur coagula fibrinosa, formam tubulorum uriniferorum referentia, quorum nonnulla epithelio praedita, nonnulla in adipis metamorphosi, praeterea magnae cellulae epitheliales, verosimiliter e vesica urinaria.

Solutio Tart. Boraxati, quae tunc propinatur; ut inde urinae secretio promoveatur, mox relinquenda erat, quia graviolem ciit tussim. Ad usum internum demulcentium et expectorantium itaque revocanda cura. Propter intumescentiam autem firmam extremitatum inferiorum, administrantur fumigatoria.

Postquam per aliquod tempus perstitimus in hacce cura adhibenda, aegri conditio paulo melior: Vultus expressio enim magis serena, intumescencia quoque extremitatum inferiorum paulum decrevit. Raucedo atque tussis diminutae. Appetitus ciborum parum prostratus. Quae excernuntur faeces, propius ad normam accedunt. Excretio urinae, in qua adhuc albumen, largior (unc. 60 med. per nychthemeron).

Talis erat aegrotantis valetudinis status *mense Novembri*.

*Sequente mense*, minus fausta conditione aeger gaudet. Omnia quippe symptomata, quae sese iam ante obtulere; postea magis minusve discesserunt, denuo multo peiorem indolem adipiscuntur. Accrescit enim intumescencia extremitatum inferiorum, rubra fit et aegrum dolore cruciat.

Urina cōpia unc. 120 med. per diem excernitur, valde albuminosa. Microscopii ope elementa iam ante dignota, etiam nunc perlustrantur.

Administratur Acidum Nitricum in Decocto Mucilaginoso.

Tolerare autem aeger non potest, quare iterum ad usum demulcentium cura revocanda. Nullus ciborum appetitus, sitis magna, lingua rubra, alvus liquida; accedit insuper febris nupta calori mordaci; interdum autem emanat sudor profusus. Dolor in regione renali, qui femora versus extenditur.

*Die 1 m. Januarii 1852.* Sese manifestant convulsiones. Pulsus celer, parvus, vix sentitur. Tussis sicca, expectoratio nulla. Lingua sicca, intense rubet. Urinae excretae copia supra modum larga et turbidum sedimentum continens.

*Die 4 eiusdem mensis.* Oedema aliquatenus diminutum. Facies valde collapsa. Aeger in statu soporoso versatur, e quo difficile suscitari potest et ex illo experrectus in eundem statum loquens, iterum cadit. Respiratio stertorosa, Pulsus parvus, valde frequens, ictuum 120. Alvus liquida, involuntaria. Subinde si conscius sibi est aeger de tenesmis queritur. Urinae excretio profusa. Nulla sumit aeger.

*Die 16 m. Januarii.* Est valde collapsus. Vox rauca et interrupta. Tussis et dyspnoea vehemens. Cutis calor valde diminutus. Digitorum apices coerulei. Exstat gangraena ex decubitu et in variis cutis locis cernuntur vesiculae liquore claro repletae. Alvus liquida, sanguine tincta.

Urinae excretio larga, albuminifera, continet uti quoque faeces magnam crystallorum ex Phosphate Ammoniae et Magnesia copiam.

Haecce miserrima conditio non amplius reliquit aegrum, imo de hora in horam acie aucta. Alvus et urina denuo involuntaria. Sopor, dyspnoea adaucta et *die 19 m. Januarii* sub auroram mors scenam clausit.

*Sectio cadaveris horis 50 post mortem.*

Cadaver valde emaciatum. Hyperaemia hypostatica partis posticae corporis. Oedema extremorum adhuc exstat.

Thoracica cavitate aperta, ambos pulmones inter utraque pleurae laminas firmiter adhaesos offendimus. Pulmonis dextri lobus superior valde oedematosus, in medio quoque lobo offenditur oedema; sed minori gradu, lobus inferior nullum aërem continet, tela tenaci, colorem faecum vini rubri refert. Pulmonis sinistri, qui magnus et firmus est, cernuntur adhaesiones inter utrosque lobos; lobus superior oedematosus, nempe in parte antica, in parte postica nullus aër inest; sed infiltratus spisso liquore sanguinolento; lobus inferior per totum ambitum oedemate corruptus. Mucosa laryngis et tracheae coloris grisei, normalis caeterum. Pericardium magnam limpidi seri copiam continet. Cor est anaemicum. Dextri cordis parietes tenues, valvulae nullo modo vitatae; huic cordis parti parva copia tenuis san-

guinis inest, praeterea perpaula coagula fibrinosa et massa sanguinea, gelatinosa, nucis avellanae magnitudine. Cordis sinistri parietes crassi sunt 20 m.m. Haecce cordis pars paulum sanguinis tenuis continet, normalis ceterum.

In abdominis cavo notabilis seri copia. Oesophagus normalis. Ventriculus bruneo-marmoratus, coloris grisei in parte pylorica, cuius partis plicae valde evolutae observantur. Continet materiam flavam pultaceam. Duodenum et Ieiunum coloris flavi, parietes sero infiltrati, in locis nonnullis, duodeni praesertim, notabilis vasorum capillarum iniectio. Ileum laeve, parietes incrassati. Coecum non recedit a norma. Intestina crassam pariete valde incrassata quod praecipue in intestino recto observatur. In membrana mucosa intestini crassi, praesertim in loco flexurae sigmoideae, ulcera marginibus scabris offenduntur, inque illis pigmentum depositum. Hepar colorem ferrugineum refert, laxum et magnum. Vesicula fellea flavo-viridi bile repleta. Lien longus 18, latus 9, 5. c.m., cum capsula rugosa, est coloris atro-rubri, telae firmae. Glandulae mesenterii valde tumidae. Mesenterii vasa admodum sanguine iniecta.

Renes. Ab utroque capsula facile divelli potest. Superficies externa colore griseo-viridi, cum iniectio vasorum capillarum. Renis dextri substantia laxa, adiposa, pars corticalis leviter granulata, pyramides aliquatenus compressae, pelvis renum vascula capillaria iniecta. Renis sinistri substantia laxa, lardacea, ceterum uti ren dexter,

si excipias quod in ipsa tela nonnulli invenirentur calculi.  
Vesica urinaria contracta, fere nullam urinam continet.

Sanguis in cadavere easdem atque in sectione Casus I  
indicatas notas ostendit.

Serum sumptum e pericardio, e cavo abdominis et ex  
extremis inferioribus infiltratis, chemicae indagationi est  
subiectum. Inde crystallos Nitratis Urei adepti sumus.

## C A S U S VI.

---

*Morbus Brightii, Amaurosis, Hypertrophia Cordis, Mors.*

EGBERTUS B., *pictor*, vir mediae aetatis, constitutionis lymphaticae, annis proxime praeterlapsis longum tempus aegrotavit, febrique correptus est. Ante hebdomades quinque circiter, visum hebetum fieri animadvertit. Eodem tempore symptomata subiectiva obscuritatis et lucis micantis. Ante tres hebdomades se solito largiore copia mingere observavit. Cum propter haec Medicum quemdam consultum adiisset; ille venaesectionem institui, in nucha fonticulum applicari atque pediluvia administrari curaverat.

Cum die 15 m. Maii huius anni in *Nosocomium* recipitur, facies est pallida, subflava. Motus tardi et laboriosi. Queritur de cephalaea continua, quasi tundente sedem imprimis habente supra oculos et de dolore in regione lumbari qui pressione non augetur. Visus prorsus sublatus. Pupillarum motus aliquatenus turbatus. Digestionis



functio nullo modo laesa. Halitus oris foetidus, maxime conveniens materiabus organicis in statu putrefactionis versantibus. Fames magna. Permagna urinae copia (libr. 10 med.) excernitur. Urina aqua clarior, multum albuminis continet. Pulsus parvus, frequens. Examen thoracis physicum cor magnitudine normam superare indicat. Soni cordis tamen normales.

Cura instituitur praesertim diaetetica, adiuta Mixtura tonica ex Extr. Gentian. praeparata.

Cum hebdomadem circiter in Nosocomio degisset, universus valetudinis status aliquanto melior. Motus enim non adeo vacillantes et laboriosi. Visus tamen eadem conditio. Urinae excretio libra diminuta.

Eadem diaeta et Decoctum e Cortice Peruviano fusco (unc. i ad colat. unc. xij).

Die 29 m. Maii. Aegroto vultus melior. In amauroseos statu nulla mutatio. (Quamquam larga manu alimenta animalia ingeruntur, haudquaquam laeditur digestionis functio). Pulsus parvus et frequens. Variat albuminis copia in urina, modo minori, modo maiori copia inest.

Praescribitur Spir. Matrical. ad tempora et frontem infriendus.

Primo die ab infrictione spirituoso cephalaea ingravescit.

Die autem 4 m. Junii spirituosorum usu externo, melius se videre putat aeger. Literas scriptas tamen aut typis chartae incussas lagere non potest.

Eadem cura, praeterea clyisma oculare ex aqua frigida

administratur; ita ut infriktiones spirituosae statim post usum clysmatis ocularis obtineant.

*Die 10 m. Junii.* De ingravata cephalaea et dolore in regione lumbari queritur aeger. Clyisma oculare et infriktiones cephalaeae causa relinquuntur. Applicantur cucurbitae siccae N°. XV in regione lumbari. Post applicationem cessat dolor. Usus mixturae tonicae et diaeta nutriens continuantur.

*Die 25 m. Junii,* cum tempore matutino rerum domesticarum causa exiisset; revertitur sub meridiem, querelas movens de dedolatione, quam lassitudini tribuit et cubitum ire cupit. Attamen cum exuere vult vestes, mortuus procumbit humi.

#### *Sectio Cadaveris horis 24 post mortem.*

Cranium. Meninges, meninge dura excepta, ad basin cerebri valde hyperaemicae et extravasationis punctis praeditae. Substantiae cerebri pars maxima firma. Substantia alba punctis rubris scatet. Ventriculi laterales vacui. In thalamo N. Optici dextro macula rubra, verosimiliter vestigium veteris foci apoplectici. In ventriculo quarto et in ponte Varolii magna sanguinis extravasati copia. In extravasati ambitu, cerebri materies pultacea. Investigatione microscopica oculorum, nihil memoratu dignum invenitur. Cor magnum, hypertrophia partis sinistrae excentrica, cum valvulis sanis. Pulmones in parte postica hyperaemici.

Ventriculus et intestina a norma non recedunt. Hepar magnum, levem adiposae degenerationis gradum ostendit. Lien magnus mollis.

Renes valde atrophici. Capsula ab utroque rene, non sine parenchymatis ipsius laesione separari potest. Superficies valde granulosa, adiposa. Granula nonnulla magnitudine *semen cannabis* superant. Substantia corticalis et pyramidalis a se invicem distingui nequeunt. Pelvis renum ampla. Vesica contracta cum pariete crasso, parcam urinae copiam tenet.

## C A S U S VII.

---

*Morbus Brightii, Hydrops, Convulsiones, Coma, Mors.*

GESINA, CATHARINA H., *ancilla*, annum vitae agens 43; capillis fulvo-bruneis, oculis coeruleis, constitutionis lymphaticae, antea secunda valetudine gavisa est.

E die 28 m. *Novembris* 1851 laboravit lassitudine spontanea, doloribus per artus, gravi cephalaeae, nauseae atque vomitui nupta, quibus mox oedema utriusque cruris et pedis atque ascites accederunt.

Cum die 15 m. *Decembris* in *Nosocomium* huius urbis recipitur, parum emaciata videtur. Faciei color luridus. Cutis calor normalis. Exstat oedema utriusque pedis et cruris. In abdomine tumido, cernitur liquoris fluctuatio. Sapor oris bonus. Ciborum appetitus parum prostratus. Lingua levi exsudato tecta. Dolor in abdomine nullus. Palpatione et percussione, quoad fieri possit propter tumefactum abdomen, patet: extra hypochondrium dextrum prominere hepar. Alvus liquida. Dolor in regione renali

nullus, ne pressione quidem. Nulla laesa respirationis aut circulationis organorum functio. Urina larga prodit copia, albuminifera.

Propter alvum liquidam praescribitur remedium demulcens.

*Die 28 eiusdem mensis.* Postquam aegrotata a die 20 h. m. meliori vitae conditione et euphoria gavisata est, subito febre corripitur. Albumen quod iam tribus diebus ante, ex urina evanuit, nunc satis magna copia inest. Ipsius urinae excretio parca. Oedema extremorum inferiorum accrevit, simul cum maiore intumescencia et quae percipitur in abdomine fluctuatione. Lingua exsudato mucoso obtecta, marginibus intense rubet; est tamen madida. Alvus solidioris iam consistentiae, bis per diem deponitur. Cutis calor auctus; ad sudores procliva.

Praescriptum Acid. Sulphur. in Decocto Hordei.

*Die 29 eiusdem mensis.* Febris. Exstat gravis cephalaea universae dedolationi coniuncta. Lingua valde obessa. Alvus normalis. Quae prodit urina, copia est admodum parca, albuminosa, coloris intense rubri cum multo sedimento. Apparet tamen ope Acid. Nitrici, colorem, albumine coagulato remoto, a bilis materic colorante pendere. Urinae microscopica investigatio, coagula cylindrica fibrinosa ostendit, quorum nonnulla cellulis praedita, corpuscula sanguinis etiam nonnulla, porro adipis globulos cet.

*Die sequente* materiem quasi mucosam emesi eiicit, ceterum eadem conditio.

*Die 1 m. Januarii 1852.* Febris. Facies atque extrema superiora tumida. Querelas movet de baryecoea et visus obscuratione. Lingua, marginibus rubris, sordida in medio. Nulla appetit. Sitis fere intolerabilis. Post minimam quamque cibi potus ve copiam sumptam, emesis. Quae per oesophagum vomitu eiciuntur coloris sunt prasini, reactionis acidae. Angina. Urina parca copia et cum dolore prodit.

*Die 2 m. Januarii.* Eadem conditio, praeterea roseola praesertim in superficie dorsali pedum conspicua.

*Die 3 m. Januarii.* Aegra in statu comatoso versatur. Motus admodum tardi et cum dolore fiunt. Maior baryecoea et visus obscuratio. Sitis intoleranda. Vomitus. Excernitur parca quantitate urina. Alvus involuntaria. Pulsus post septimum aut octavum ictum intermittens. Vesiculae liquore claro repletae hic illic in brachio dextro.

*Sequente die* gravis cephalaea.

*Die 6 m. Januarii.* Cutis aridae calor valde adauctus. Exhalat aegra odorem foetidum, caseo putrefacto similem. Omnes membranae mucosae, quatenus inspici possint, intense rubent. Lingua tumida, dolorifica.

*Die 7 m. Januarii.* Collapsus universus. Coma. Convulsiones horrendae. Alvus et urina involuntaria.

*Die 8 m. Januarii.* Aegra vix quaestionibus propositis respondet. Manet in eodem statu comatoso. Oculorum palpebrae aegre relevantur. Extrema frigent. Oedema decrevit. Convulsiones. Vesiculae quae primo in brachio tantum dextro prodire, sese in brachio quoque sinistro

manifestant. Respiratio celeris, stertorosa. Pulsus vix sentitur. Alvus et urina involuntaria.

*Hora meridiana*, vexata gravibus et continuis convulsionibus occumbit aegra.

---

*Sectio Cadaveris horis 24 post mortem.*

Cranio aperto, patet: in dura meninge iuxta processum falceiformem esse liquorem gelatinoso-purulentum. M. Arachnoidea solito crassior. Vascula piae meningis sanguine valde repleta. Oedema cerebri. In utroque ventriculo laterali liquor seroso-sanguinolentus.

In thorace dextro copia unc. med. 6 seri sanguinolenti. Inter utrasque pleurae laminae apicis pulmonis dextri adhaesiones. Totus pulmo valde hyperaemicus. Pulmo sinister minus hyperaemia correptus. Uterque aërem continet. In pericardio parva seri limpidi copia. Cor magnitudinis normalis, laxum. In corde dextro parum sanguinis, syrupi tenuis consistentia. Valvulae non vitatae. In corde sinistro eadem materies atque in corde dextro. Nulla coagula. In valvul. semilun. a. aortae et in valvula mitrali maculae flavae durae.

Hepar magnum. Degeneratio myristicationis. Lien longus 3,5, latus 5,5 c. m., hyperaemicus, cum capsula aliquatenus rugosa.

In oesophagi m. mucosa vasorum capillarum iniectio.

M. mucosa ventriculi coloris cinerei, quasi papillata. Duodeni valvulae valde evolutae. Ieiuni et Ileii v. capillaria sanguine repleta. Coecum et crassa sana. Venae mesenteriales sanguine tumidae.

Utriusque renis capsula a superficie externa facile separari potest. Superficies laevis, cum figuris quasi stellatis. Ren sinister multo minor rene dextro. Sectione verticali emanat liquor turbidus, albus. Substantia corticalis persecta leviter granulata apparet. Substantia tubulosa aliquanto depressa. Pelvis renum iniectione vasorum capillarum. Vesica vacua, cuius venae varicosae videntur.

Uterus normalis, in fundo parvum pseudoplasma. (Tumor fibrosus?)

Serum e pericardio, sanguis e vena iugulari externa et e vena cava inf. via chemica Nitrat. Urei crystallos prae-buit. In bile frustra investigata haecce substantia.



## C A S U S VIII.

*Morbus Brightii acutus, Hydrops, Mors.*

C. B., annos nata 23, architectura robusta, *ancilla*, olim, uti rescivimus, vitam vivens in lupanari; semper ante fructa est valetudine secunda. Sex abhinc hebdomades febrem contraxit, iunctam crurum intumescetiae, dolorique vehementi in regione renali, corporis pronatione aucto. Accessit postea abdominis intumescetia. Tribus mensibus abhinc cessavit menstruatio.

Cum die 30 m. Novembris 1851 in Nosocomium recipitur, facies est tumida. Genae circumscripse rubescentes. Oculi nitescentes. Calor cutis auctus. Tumida oedemate crura. Ascitis levis gradus. Hydrops anasarca per totum truncum. Lingua glabra intense rubet. Nulla appetit. Intoleranda sitis. Alvus liquida, saepius per diem. Subinde vomitus. Quae emesi eiiciuntur materies sanguine sunt tinctae. Examine thoracis physico instituto, strepitus ves-

ularis asper iunctus rhoncho mucoso et sibilanti accipitur in parte thoracis antica; in parte autem postica strepitus vesicularis normalis. Organorum circulationis functio nullo modo laesa. Levis tussis. Quae prodeunt sputa constant puris cellulis, adipis globulis, cellularum nucleis. Pulsus parvus, frequens, ictuum 80. Dolor in regione renali; augetur pressione et corporis pronatione. Parca urinae excretio, copia unc. med. 15 per nycthemeron. Multum continet albumen. Notandus color, qui nascitur si Acid. Nitricum in urina instillatur; initio ruber, transit in cyaneum. Microscopii ope investigata urina, praeter crystallos ex Phosphate Magnesia et Ammoniae, cellulas continet epitheliales forma et magnitudine varias, cellulas cum contento granuloso, coagula fibrinosa.

Propinatur Decoct. Sem. Lini.

*Die 1 m. Decembris.* Aegrotam noctem insomnia correpta degit. Excretio urinae nulla. Vomitus subinde. Magna dedolatio. Horripilationes.

Praescribitur Solut. Tart. Boraxati.

*Die 2 ei. m.* Vomitus gravi cardialgiae nuptus. Dolor in regione renali maior. Cutis sicca. Lingua rubra, glabra. Urina prodit copia unc. med. 18.

Propinatur Solutio Emolliens.

*Die 3 ei. m.* Deliria praesertim sub noctem. Omnes artus dolore affecti. Iactatio frequens. Urinae excretae copia unc. med. 15. Albuminis copia in urina, est 7,37 in 1000 p<sup>s</sup>. Utitur eodem medicamine.

*Die 4 ei m.* Vomitus vehemens. Quae eiciuntur materies reactionis acidae, inque illis Ureum invenitur. Gastralgia gravis. Sinapismus in regione ventriculi applicatus levamen fere nullum affert. Cutis in ista regione inflammatur, procliva ad gangraenam.

Praescribitur Decoct. album.

*Die 5 ei m.* Pulsus mollis, intermittens. Frigent extrema. Oedema decrescit. Nausea et vomitus continuant. Gastralgia. Gravis cephalaea. Hallucinationes. Baryecoea. Si bacillum Acid. Hydrochlorico tinctum aëri exhalato admoveatur, albi vapores.

Propter vomitum continuum administrantur Pulv. aërophori. Utitur insuper Decocto albo e. vino Hispanico.

*Vesperi* eadem conditio. Praescribitur Mixtura ex Magnesia et Aqua Laurocer.

*Die 6 ei. m.* Noctem bene dormivit. Nulla deliria aut hallucinationes. Aliquantenus cessavit vomitus. Alvus semel prodiit consistentiae normalis. Cutis ad sudores procliva. Pulsus intermittens. Urinae excretio perparca unc. med. 8. Eadem mixtura atque heri vesperi propinatur.

*Die 7 ei. m.* Incontinentia urinae. Infiltratio serosa maiorum labiorum. Inflammata cutis in regione inguinali et femorali. Extrema livida frigent. Pulsus perparvus, mollis. Horrores conquassantes. Aphthae in lingua videntur. Gingiva et conjunctiva palpebrarum hyperaemica. Alvus semel deposita.

Praescribitur Succ. Citri r. expr. in Decocto mucilaginoso.

*Die 8 ei. m.* Eadem fere conditio. Lingua ad attactum friget. Contractae alae narium. Vultus anxietatem summam exprimens. Cutis loci inflammati ad gangraenam tendunt. Diarrhoea.

Praescribitur pulvis e Caphura locis inflammatis inspergendus.

*Die 9 ei. m.* Exhausta iacet aegrotata. Facies livida. Horripilationes. Stridor dentium. Vomitus vehemens. Queritur de pedum dolore. In eo loco maxima est infiltratio serosa et videmus vesiculas liquore claro repletas.

Praescribitur Creosoti gtt. i in Decocto mucilaginoso.

*Die 10 m. Decembris.* Heri sub meridiem nacta est aegrotata epistaxin et metrorrhagiam. Totum diem continuavit metrorrhagia. Sub noctem facta respiratio stertorosa, et hora quinta matutina huius diei obiit.

---

*Sectio Cadaveris horis 10 post mortem.*

Cranium. Meninges sanæ. Cerebrum molle. In utroque ventriculo laterali parva seri copia.

In apice pulmonis dextri excavatio magnitudine ovi galinacci, trabeculis ita separata ut inde plures orientur alveoli. Pariet excavationis internus materie quasi saniosa obtectus. Pulmonis tela in circuitu non infiltrata tuberculis. Pulmo sinister hyperaemicus, cum emphysemate in margine. Cor sanum continet sanguinis tenuis parvam copiam, coa-

gula fibrinosa pauca. In membrana mucosa ventriculi plicae valde evolutae; in parte pylorica malacia quasi gelatinosa correpta m. mucosa. Iniectio vasorum capillarum. Scatet ecchymosibus. M. mucosa duodeni coloris atro-rubri, ieiunii et ilei coloris violacei. Intestina crassa vasa capillaria valde iniecta ostendunt. Hepar magnum myristicatum. Vesicula fellea bile tenui atro-brunnei coloris repleta. Lien magnus, cum capsula incrassata.

Renes magni. Singuli binis ureteribus praediti. Capsula facile a superficie externa separari potest. Ipsa superficies laevis. Substantia corticalis solito maior, lardacea. Substantia tubulosa hyperaemica, in basi compressa. In pelvi renali vasculorum capillarum iniectio. Vesica contracta parcam urinae copiam tenet. In utero normali parum sanguinis coagulati. Sanguis in cadavere valde tenuis.

E sero sumpto e cruribus infiltratis, e ventriculo cerebri laterali, sanguine e vena iugulari externa et vena cava inf. nec non e bile Vir mihi amicissimus A. J. D'AILLY F<sup>s</sup>., *Med. Cand.* adeptus est Nitratis et Oxalatis Urei crystallos. Eadem quoque materies, durante vita in sputis inventa.

Quas enarravimus observationes, dignae sunt, ut nonnulla momenta iis obvia, etiamsi multi et celeberrimi nominis Scriptores uti BRIGHT, RAYER, CHRISTISON, JOHNSON, SIMON, REINHARDT, OWEN REES, FRERICHS, MAZONN cet. ea pervolverint, paucis verbis illustremus.

Res maximi momenti huic morbo propria est et laesa renum structura et urinae mutata indoles.

Initium faciemus, mutationibus quae in ipsa renum tela obtinent breviter describendis.

Diversae mutationes telae renalis in nomine *Morbi Brightii* sunt collocatae. Si modo, postquam BRIGHTIUS, quas detexit renum metamorphoses literisque mandavit innotuere, renes albuminuria laborantium in autopsia aliquatenus tantum a norma recedentes inveniabantur, alia et nova degenerationis forma censebatur digna, quae caeteris iam ante inventis formis iungeretur; quo factum est, ut illarum mutationum natura non indagaretur; sed solum unius eiusdemque morbi varietates constituerentur.

Postea autem intellexerunt Medici Scriptores, omnes formas renum degeneratorum, quas RAYER, ROKITANSKY, MARTIN SOLON, CHRISTISON cet. exposuere, ad eundem processum referendas, cuius natura in hyperaemia, exsudatione et exsudati metamorphosi ponenda esset.

Hunc ordinem et nos sequentes, tria distinguimus stadia, quorum primum nomine insignitur hyperaemiae et incipientis exsudationis; alterum stadium est quod nomine exsudationis et metamorphoseos incipientis exsudati designatur; stadium tertium nomine atrophiae insignitur.

In primo stadio, ren solito maior est, latus. Superficies externa laevis videtur. Tunica circumvestiens a superficie facile separari potest. Sanguine vascula in superficie externa tument et hic illic puncta rubra et figuras quasi stellatas praebent. Substantia corticalis, quae coloris est luridi, liquore magis minusve sanguinolento est imbibita, cui magna e parte renis volumen auctum est tribuendum. Pyramides hyperaemicae sunt. Pelveos et calycum renum vascula sanguine impleta. Quod ad penitiorem structuram, parum hoc stadio durante est monendum. Sanguifera vascula repleta sanguine, qui nonnunquam in tubulis uriniferis aut capsulis Malpighianis effusus offenditur. Cellulae epitheliales internum tubulorum parietem circumvestientes, parum aut nullo modo mutatae inveniuntur; interdum autem aliquanto solito maiores, aut in lamellas coalitae videntur. Ipsi tubuli uriniferi, corticalis imprimis substantiae coagulis fibrinosis sunt conferti, quae perpulcre videri

possunt, si liquor, quo substantia corticalis est imbibita exprimitur. Haecce coagula aut formam ostendunt cylindricam, aut adspectum praebent tubulorum membrana hyalina constantium, saepius epithelio sunt obiecta. Nonnunquam quoque in tubulorum uriniferorum interstitiis cernitur exsudatum.

In altero stadio, renis volumen auctum adhuc exstat, aut raro aliquatenus est attenuatum. Laxum et mollem se praebet ren. Superficies renis externa aut laevis est, aut granulis obsita, quae secundum ROKITANSKY constant capsulis Malpighianis exsudato confertis <sup>1)</sup> secundum aliorum sententiam his granulis ansam praebent contorti et inflexi tubuli uriniferi, qui postquam exsudato et cellulis epithelii aut adipis globulis sunt distenti, extra superficiem extolluntur. Capsula renis saepius incrassata facile removetur. Eundem liquorem, quo in primo stadio substantia corticalis est imbibita etiam nunc offendimus, cuius volumine aucto in basi sunt compressae pyramides; quo fit ut non raro plumae ad instar sint dispositae. Ipsae pyramides atro-rubri sunt coloris; ita quoque m. mucosa pelveos renum atque calycum. Si renis structuram hoc stadio versantis oculo armato investigamus, animadvertimus capsulas Malpighianas aut prorsus normales esse, aut glomerulos in illis contentos, obiectos materie granulosa, quae Acid. Acetici ope pellucida fit, aut inter capsulam et glomerulum

<sup>1)</sup> *Handboek d. bijzondere ziektekundige ontleedkunde*, II D., bl. 407.



exsudatum fibrinosum depositum cui iuncti adipis globuli. Nonnunquam in illis offenditur Cholestearinum crystallisatum sub forma rhomboïdea <sup>1)</sup>. Quod ad tubulos uriniferos, in nonnullis adhuc coagula fibrinosa inveniuntur, in aliis nil nisi massa granulosa, alii adipis globulis scatent. Non raro sinusos sese praebent ipsi tubuli. Phaenomenon quod non raro in hoc *Morbi Brightii* stadio observatur, est cystidum praesentia <sup>2)</sup> in tela renum, quae sive ex capsulis Malpighianis originem ducerent, sive ex cellulis epithelialibus tubulorum uriniferorum. Interstitia tubulorum exsudato plerumque sunt repleta.

In stadio tertio, renes solito minores videmus. Capsula incrassata, raro sine ipsius parenchymatis laesione a superficie separari potest. Superficies externa valde granulosa et gibbera est, contracta in locis nonnullis. Granula variae magnitudinis sunt, nonnulla *semen pap. alb.* magnitudine adaequantia, *semen cannabidis* nonnulla. Lobata forma nonnunquam renes gaudent. Superficies coloris luridi. Ipsa renum tela tenax tanquam corium. Substantia corticalis persecta, diminuta apparet, inque illa, uti in superficie variae magnitudinis granula. Plerumque quoque pyramides volumine diminutae. Microscopii ope investigati

<sup>1)</sup> *Die Bright'sche Nierenkrankheit und deren Behandlung. Eine Monographie von Dr. FRIEDR. THEOD. FRERICHS, 1851, p. 25.*

<sup>2)</sup> *Iets over Morbus Brightii en Albuminurie, door Dr. J. P. GILDEMEESTER in het Tijdschrift d. Ned. Maatsch. t. Dev. d. Geneesk., Jg. 1850, p. 391, sqq.*

tubuli, in locis granulatis secundum FRERICHS <sup>1)</sup> distenti adipe et materie granulosa offenduntur; in locis autem contractis, compressi; ita ut ligamina referant, nonnulli paucis adipis globulis aut materie granulosa repleti. Capsularum Malpighii paucae sunt normales, pleraeque ad parvum volumen reductae et in illis adipis congeries, qua glomeruli sunt compressi. Tela interstitialis est contracta. Semel tela conjunctiva novae formationis inter tubulos est reperta (HENLE).

Ex illo brevi conspectu mutationum anatomico-pathologicarum luculenter apparet: huius morbi naturam positam esse in exsudatione plasmatis sanguinis in ipsa renum tela, cuius fibrinum coagulans in tubulis uriniferis, formam adipiscitur eorum et vel in istis tubulis remanet, vel urina excreta protruditur, de cuius praesentia in urina ni fallor SIMON (Handb. d. Med. Chem., II Th.) primus loquitur. Altera plasmatis sanguinis substantia, albumen nempe, qua tale transit in urinam, eiusque praesentia chemica via facile dignoscitur <sup>2)</sup>.

Inter causas talem processum excitantes ab auctoribus referuntur: Corporis refrigerium subitaneum, laesiones mechanicae externae, abusus spirituosorum, excessus in

<sup>1)</sup> L. c. p. 33.

<sup>2)</sup> Cf. de albuminis indagandi methodo praeter alios C. KERBERT, *Spec. Chémico-Path. Inaugur. de Urina albuminosa cet. def. Lugduni Batarorum* 1839, p. 18, et V. GORUP-BESANEZ, *Anleitung z. qual. u. quantit. Zoonch. Anal.* 1850, p. 46.

venere, usus remediorum fortiter urinam pellentium, per-  
 pressio morborum acutorum uti febrium exanthematicarum,  
 imprimis scarlatinae, vitia organorum circulationis cet. cet.

Iam supra locuti sumus de albuminis praesentia in urina  
*Morbo Brightii* laborantium. Secundum FAERICHS plerum-  
 que inest quantitate 2,5—15, in 1000 p<sup>s</sup>. HELLER in  
 indagationibus de urina in *Morbo Brightii* excreta, casum  
 memorat, cuius urina in 1000 p<sup>s</sup>. 57 p<sup>s</sup>. albuminis  
 tenebat <sup>1)</sup>. Nonnunquam haecce organica materies, per  
 aliquod temporis spatium in urina frustra quaeritur, de  
 cuius absentia per triduum Casus a nobis memoratus VII,  
 exemplum praebet. Testante OWEN REES hoc imprimis,  
 ubi iam provectius degenerationis renum stadium obtinet,  
 locum haberet <sup>2)</sup>.

De ceteris <sup>3)</sup> elementis organicis urinae, de pondere speci-  
 fico, de salibus anorganicis, hic, cum nulla memoratu digna  
 prodere possim, non opus est ut agamus; silentio tamen  
 praeterire non possum et verbo memorabo a nobis obser-  
 vatum phaenomenon. Saepius scilicet, in urinae albumine  
 indagando occupati, animadvertimus, si Acid. Nitr. aut

<sup>1)</sup> *Archiv. f. Physiol. und Pathol. Chemie und Mikroskopie von*  
 Dr. JOHAN FLORIAN HELLER. Jahrg. 1845, S. 197.

<sup>2)</sup> *Over den aard en de behandeling van de ziekten der nieren, enz.*  
 door G. OWEN REES, 1850, p. 56.

<sup>3)</sup> Hoc tantum memoratum volo; nonnunquam urinam Acid. Uric.  
 abundare, cuius phaenomeni Casus a nobis relatus I exemplum praebet.  
 vid. supra, pag. 2.

Acid. Hydrochl. urinae instillabamus, in ea oriri colorem primo rubrum, dein violaceum, cyaneum tandem.

Si perscrutamur, quae hac de re ab auctoribus literis sint mandata, iam multos ante annos a BRACONNOT, in urina pathologica, materiem colorantem cyaneam detectam legimus, cui nomen *Cyanurini* datum et hoc modo proprietates descriptas: Caret odore et sapore. Caloris ope decomponitur in Carb. Ammoniae et Oleum empyreumaticum. Aqua et alcohole ebulliente aegre solvitur, acidis tamen mineralibus et nonnullis vegetabilibus solvitur, nacta colorem rubrum. Si potassae ope neutralisatio obtinet, color fit cyaneus et iterum materies colorans fundum petit<sup>1)</sup>. Postea HELLER in diario ab ipso edito animos duxit ad talem materiem colorantem, qualem in urina Cholera aegrotantium detexit, quamque materiem bilis colorantem modificatam putavit. Anno autem 1845, denuo huius rei mentionem facit et quas fecit indagaciones de natura et origine *Cyanurini* breviter huc redeunt<sup>2)</sup>:

Illa materies, tanquam corpus chemicum primarium non exstat; sed urinae, in qua violaceum aut cyaneum nascitur sedimentum, propria inest materia colorans flavi coloris, quam nomine designat *Uroxanthini*, quamque *Urei* decompositionis productum suspicatur. Huius materiae colorantis proprium est altiore oxydatione in duas materias

<sup>1)</sup> Cf. F. P. DULK, *Lehrb. d. Chemie*, 1842, II. Tb., p. 491.

<sup>2)</sup> Cf. eius *Archiv. Jahrg.* 1845, S. 160, sqq.

easdem et colorantes decomponi, quarum prima nomen nacta *Urrhodini* coloris est punicei, altera nomine insignita *Uroglaucini* est coloris cyanei. Ambae forma crystallisata gaudent. *Uroxanthinum* tamen hucusque crystallisatum atque purum praeparari non potuit.

Indagationes hoc de argumento a VIRCHOW institutae magna e parte HELLERI investigationes de materie colorante cyanea comprobant. VIRCHOW tamen, nulla se vidisse testatur, quae indicare possent illam materiem ex *Urei* decompositione originem ducere <sup>1)</sup>.

Phaenomenon quod eodem tempore observavit VIRCHOW dignum est quod hic memoretur. Audiamus ipsius verba: »Der Harn, von dem ich einen Theil zu der ursprünglichen Untersuchung verbraucht hatte, blieb zum grössern Theil noch stehen und überzog sich sehr schnell mit einer weisslichen Haut, die bei der mikroskopischen Untersuchung aus dichtgedrängten Pilzsporen zusammengesetzt erschien. Die Pilze wuchsen sehr bald in gegliederte, am Ende Sporen tragende Fäden aus, sanken zum Theil zu Boden und bildeten hier ein dichtes Sediment. Behandelte man solchen Harn mit Mineralsäuren, so färbten sich die Fäden braun, manchmal violett und konnten so eine gewisse, obwohl leicht zu unterscheidende Aehnlichkeit mit den Krystallnadeln bekommen. Während dieser Pilzbildung nahm die Säure des Harnes zu und es stellte

<sup>1)</sup> Verhandlungen d. Physikalisch-Medicinischen Gesellschaft in Würzburg, 1852, Bd. II, p. 306.

sich die saure Harn-Gährung ein. Da anderer Harn beim stehen sehr bald alkalisch wird, indem sich unter zunehmender Vibrionen-Bildung eine faulige Zersetzung des Harnstoffes entwickelt, so konnte die Vermuthung entstehen, ob hier nicht Zucker in irgend welcher Form vorhanden sei. Die TROMMER'sche Probe ergab kein Resultat, auch die FEHLING'sche Mischung nicht. Allein es zeigte sich constant, dass, wenn in dem mit kaustischer Kalilauge versetzten und erwärmten Harn schwefelsaures Kupfer gebracht wurde, kein Niederschlag entstand, die Lösung aber beim Erhitzen eine intensiv gelbbraune Färbung annahm. Wurde etwas von dem Harn mit der FEHLING'schen Mischung gekocht, und hinterher etwas Traubenzucker hinzugesetzt, so trat die Reaction entweder gar nicht oder nur unvollständig ein. Es musste also offenbar ein Stoff zugegen sein, der mit dem Kupfer eine eigenthümliche Verbindung einging und so die weitere Reaction hinderte.

Ich habe diese Versuche seitdem häufig wiederholt und bei dem Harn verschiedener Kranken diese Eigenschaften in constanter Verbindung gefunden. *Derjenige Harn, welcher mit Mineralsäuren krystallinische Farbstoff-Niederschläge gibt, geht unter reicher Pflanzbildung die saure Gährung ein und zeigt die eigenthümliche Kupferreaction. Alle drei Eigenschaften möchten demnach auf dieselbe, wahrscheinlich kohlenwasserstoffreiche Substanz zu beziehen sein.*"

Quaenam autem dignitas diagnostica est tribuenda huic materiei coloranti? GOLDING-BIRD pulmonum et hepatis functionem laesam arcte haerere huius materiae praesentiae putat. VIRCHOW de actione vicaria hepatis et renum loquitur. Quod ad me attinet, observationes hac de re, nimis parco numero et imperfecte sunt factae, quominus ex illis iudicium capiam.

Quod ad copiam urinae in *Morbo Brightii* excretam, pro variis atque variis casibus differt. Copia per nycthemeron vulgo excreta urinae primis morbi stadiis aut conditioni sanae convenit, aut minori quantitate, praesertim cum morbus acute decurrit, prodit; dum stadio provec-tiori et chronice decurrente morbo non raro larga copia urinam excerni videmus <sup>1)</sup>.

Cum urinae secretionem laesa arcte cohaerere videtur ille symptomatum complexus, cui nomen Uraemiae vel Intoxicationis Uraemicae. Animadvertimus enim in duobus ultimis a nobis memoratis casibus, in quibus mihi contigit talia symptomata observare, urinae excretionem aut parca copia fieri, aut prorsus subsistere.

Multae de causa proxima horum symptomatum prodierunt hypotheses et opiniones. Ita censet OSBORNE ex organica cerebri functionum laesione nempe ex arachnitide symptomata explicanda esse. Alii chemicam sanguinis alienationem, scilicet magnam Urei in isto liquore copiam accusant. Alii contra, inter quos praecipue Cl. FRERICHS

<sup>1)</sup> Cf. Casus a nobis memoratus VI.

rem quidem e chemica sanguinis laesione, sed alia ratione quam mox memoravi explicare student. Illi enim putant Ureum in sanguinis circuitu cuiusdam fermenti ope decomponi in Carb. Ammoniae, qui actionem quasi narcoticam in sanguiferum et nervuum systema exerceret. Si mea hac de re quaereretur opinio, non dubitarem, quin respectu casus VII et VIII illorum sententiae assentirer, qui sanguini perverse constituto causam inesse putant. Nam, si attendamus ad varia symptomata, quae sese in casibus supra memoratis obtulere, e. g. vesiculas in cute, cutis inflammationem ad gangraenam proclivem cet., si porro animadvertamus sanguinis illam tenuem consistentiam eodem tempore ureum continentis, credo ex illa satis magna argumentorum copia, qua ista hypothesis nitatur sic existimare mihi licere. Quidni symptomata quoque systematis nervi turbati facile hac explicari possent? Sanguis enim idem et vitiatus, eodem tempore per corporis partes alias commens et cerebrum et medullam spinalem abnormi ratione nutriat necesse est.

Forsitan quisquam nobis obiiciat saepius abesse organicas cerebri laesiones. Ille autem cogitet velimus, utique functiones huius systematis laedi posse et tamen nulla in contextu aut obvestientibus telis adesse vestigia laesionum anatomiarum. Sibi in mentem tantum revocet commotionem cerebri. Alii contra, nobis istos casus obiicient in quibus revera adsunt laesiones anatomicae et secundum Doct. OSBORNE hic non adeo crasin mutatam, sed laesam nervi systematis functionem causam proximam accusandam profitebuntur.



Num quaero in delirio tremente, quo nemo saltem systematis nervei functiones turbatas negabit, semper cerebrum medullave affecta aut mutata inventa? Num mutationes si adsunt, semper sunt eadem? Et tamen neminem fore credo, qui in illo morbo sanguinem perverse constitutum sit negaturus.

Etiamsi autem nobis persuasum sit omnia argumenta eo tendere ut sanguinem perverse constitutum accipiamus, tamen inde neutiquam quaestio prorsus explicari potest. Quid est in sanguine, ex quo illa perpassio pendet? Num sanguis chemice aut physice mutatus et quanam sunt mutationes? Credo equidem adhuc optimum fore, ut illum symptomatum complexum tribuamus actioni Urei (aut eius producto Carb. Ammon.); quippe cum nulla materies tot tantisque argumentis empiricis gaudeat. Scimus equidem, in experimentis factis in animalia cum Urei iniectioe, saepius illa intoxicationis symptomata non orta, si non arteriae renales essent ligatae renesve extirpati, sed tamen hic in sanguinem sanum experimentabantur et immixtio accidentalis erat. Alia et plane ab illa diversa res est, si totus organismus morbo correptus sit et sanguis ita sit constitutus ut necessario infectus maneat.

Ureum in istis supra relatis casibus actionem, ut ita dicam toxicam, in organismum exercuisse facile cogitari potest, nam eius praesentia in sanguine, sero ceterisque substantiis est comprobata. Fieri quoque potuit ut illa symptomata originem debuissent Carbonati Ammoniae;

facile enim decomponitur Ureum in istam materiem.

Num autem ubique et in omnibus casibus, cum talis symptomatum complexus occurrit, Ureum aut Carb. Ammoniae causa excitans censeretur, decernere non audeo, quia tantum duo sunt casus, in quibus talia observavi symptomata.

Quod ad amauroseos aut amblyopiae symptomata, quae nonnunquam in *Morbo Brightii* observantur, sed profecto non tanto numero, quanto proponit LANDOUZY; quod ab aliis quoque auctoribus non comprobatum est, ea non semper ex uraemica intoxicatione explicanda putamus. In Casu quoque a nobis memorato VI talem uraemicam intoxicationem non admittimus. Luculenter enim autopsia demonstratum est, momenta multa adfuisse in ipso cerebro, quae talis visus conditionis causam praebere potuerint. Porro continua congestio ad caput, actionis auctae cordis sinistri hypertrophici sequela, hic non omittenda est. Insuper non alieni sumus ab opinione, in hocce Casu causam albuminuriae et renum telae degenerationis, maximam partem in ipsa cordis vitiata conditione esse quaerendam.

Observationem aliquatenus cum hacce a nobis facta congruentem memorat Vir Doctissimus IMANS <sup>1)</sup>.

Inter symptomata laesae uropoieseos Medici Scriptores dolorem quoque localem in regione renali memorare solent. Quamquam haud negari potest, saepius istum dolo-

<sup>1)</sup> Nederl. Lancet, 3e Serie, 1e Jaarg., bl. 356, sqq.

rem ab aegris percipi, tamen non raro quoque accidit, ut nullas moveant querelas de hoc symptomate aegri. Utrum huius ratio in eo ponenda sit, quod multi hoc morbo laborantes sese medicae curae subiiciant, cum iam processus localis fecit progressus, cui sententiae Cl. FRERICHS haeret, an alio modo sit explicanda non decernam.

Dolor, qui sentitur, plerumque est obtusus, gravitatis sensum referens; nonnunquam lancinans, saepius ureterum decursum sequitur et femora versus extenditur, corporis pronatione et pressione augetur <sup>1)</sup>. Quod valet de dolore in Nephritide <sup>2)</sup>, non raro etiam in Morbo Brightii occurrit; quod hoc modo explicandum fore suspicatur FRERICHS: » Quod ren sinister ab explorante manu rene dextro facilius tangatur. » — In quo huius phaenomeni ratio est quaerenda, non satis adhuc constat. Forsitan cohaeret cum processus ortu primo, aut vehementia in rene sinistro. Non raro enim accidit, ut ren sinister, rene dextro minori volumine sit, quod fortassis eo explicandum est, quod tunc ren sinister in stadio proVectiori vel in stadio transitorio, secundi nempe in tertium versetur. In autopsia Casus II et VII quoque offendimus renem sinistram rene dextro multo minorem.

Ultimo denique loco restat ut pauca verba faciamus de praesidiis therapeuticis in *Morbo Brightii* adhibitis.

<sup>1)</sup> Cf. Casus V et VIII.

<sup>2)</sup> Ex centum nephritide laborantibus octoginta et amplius renem sinistram dolent, experientia teste cet.. *Instit. de morb. acut. auct. G. C. B. SURINGAR*, p. 86.

Varia sunt administrata remedia in hoc morbo, nonnulla laudabilem praestiterunt effectum, nonnulla quoque tali effectu haudquaquam gavisus sunt. Initio morbi, cum vehementer sese manifestant symptomata, suadent multi auctores ut depletiones sanguinis generales et topicae instituantur, dum contra, ubi chronice decurrit morbus et habitum prae se ferunt cachecticum aegroti, semper a venae sectione abstinendum censent. Alii commendant contrastimulantia in regione lumbari. Alii denique putant optimum esse, cutis intestinorumque actionem incitare. Ad cutis secretionem promovendam in hoc quoque morbo varia sunt commendata remedia. Alter antimonialia <sup>1)</sup>, alter Sulphuris praeparata laudat. Nonnulli Caphuram, Resinam Guaiaci, Pulv. Doveri cet. propinant.

Multa variaque intestinorum secretioni promovendae inserviant medicamina quae non opus erit ut hic nomine insigniam. Cauti tamen esse debemus in propinandis remediis drasticis aut fortiter purgantibus. Non semel enim multi atque varii *Morbi Brightii* casus, cum in clinico Viri Clar. SURINGAR, tum in Nosocomii parte, quae sub auspiciis Viri Clar. VAN GEUNS versatur, observati, nobis ansam deriderunt animadvertendi, persaepe diarrhoeam gravem comitare malum renum <sup>2)</sup>. Coacti plerumque tum eramus compercere secretiones intestinorum profusas, neque nobis in mentem venit drastica propinare.

<sup>1)</sup> Angli praesertim.

<sup>2)</sup> Compar. quoque Casus relati.

Non raro in hoc morbo necessarium esse potest, urinae secretionem promovere, tum praesertim, cum parca aut fere nulla copia prodit. Semper animadvertimus in *Nosocomio Amstelodamensi* laudabilem effectum praestitisse diuretica minus fortiora uti: Cremor. Tartari, Kali Aceticum, Digitalem cet.. Nunquam nobis revocandum erat ad fortiora diuretica. — Non ideo propendimus, si perspicimus mutationes in ipsa renum tela obvias, in illam methodum diureticam, quam ante nonnullos annos proposuit WELLS, (Tram Canth. propinavit), neque favemus sententiae a CHRISTISON allatae: »Quod irritatio hoc renum malum (*Morb. Brightii*) efficiens longe sit diversa ab illa, quae oriatur in renibus, diureticis propinatis.” — Aliorum remedium hic sufficiet nominare tonica et adstringentia uti: Radicem Gentianae, Lich. Islandic., Cort. Peruv., Martialia, Chlorur. Manganesii. Hoc ultimum remedium maxime laudabile se praestitit in nonnullis *Morbi Brightii* casibus, in Nosocomii parte sub auspiciis Viri Clar. VAN GEUNS versante curatis.

Annis proxime praeterlapsis remedium adversus *Morbum Brightii*, tanquam specificum prodit et magnis encomiis est celebratum, Acidum Nitricum ab HANSEN anno 1843 propositum putamus <sup>1)</sup>.

Ille auctor nonnullos memorat casus, Acid. Nitrici usu sanatos; de cuius effectu salutari in illis casibus non iudi-

<sup>1)</sup> Die Salpetersäure als Heilmittel der *Bright'schen* Krankheit. Trier 1843.

cari posse mihi videtur, quippe cum eodem tempore et purgantia et diuretica remedia sint propinata et applicatae in regione lumbari cucurbitae. FRERICHS quoque in Monographia mentionem facit casus, quo aeger est sanatus, cuique propinavit Acidum Nitricum. In historiae morbi fine tamen: »Es scheint dieser Fall, inquit, für die Wirksamkeit des HANSEN'schen Mittels zu sprechen, weil ausser demselben kein eingreifendes Medicament zur Anwendung kam. Wie viel indess auf Rechnung der Diät, der Wiederherstellung der Hautthätigkeit etc. zu setzen ist, bleibt schwer zu entscheiden. Ich mögte die Heilung solcher Fälle eher dem naturgemässen Verlauf, welchen leichtere Exsudativprocesse bei Abhaltung der schädlichen Ursache zu nehmen pflegen, zuschreiben, als der Einwirkung der Salpetersäure <sup>1)</sup>»

Plures adhuc curationis methodi essent numerandae, si omnia, quae a Medicis in hoc morbo adhibita sunt remedia, memorare vellemus.

<sup>1)</sup> FRERICHS *l. l.*, p. 266.

VI

VII

T H E S E S.

IX

I.  
 Errant, qui coagula tubiformia in urina *Morbo Brightii* laborantium re-  
 perta, ipsos tubulos uriniferos existimant.

II.

Nec omnis urina albuminosa est signum renum degenerationis, nec omnis  
 renum degeneratio producit albuminuriam.

III.

Usus remediorum fortiter urinam pellentium in *Morbo Brightii* est im-  
 probandus.

IV.

„Wij nemen als voedingsvocht aan: de opgeloste en alzoo niet georgani-  
 seerde zamenstellende deelen der weefsels met het water, waarin zij zijn  
 opgelost.”

(Natk. v. d. gezonden Mensch door Prof. DONDERS en Dr. BAUDUIN.)

V.

Non egemus crasi speciali, qua ortum tuberculorum explicemus.

## VI.

Historiae morborum basis praxeos medicae.

## VII.

In morbis curandis valet illud *Stollianum*: „Numquam aliquid magni facias ex mera hypothesi aut opinione.”

## VIII.

Non assentimur theoriae, quam de agendi modo Martialis in Chlorosi proposuit HANNON.

## IX.

Praeclare LOTZE (Algem. Path. und Therapie § 34): „Man muss sich gestehen, dass die Untersuchung des Pulses am Krankenbette häufig einer sehr überflüssigen Ceremonie ähnlich sieht; denn wenn man die bemerkte Pulsart unter ihre altgewohnte Benennung rubricirt hat, wird man oft in Verlegenheit sein, was nun eigentlich daraus zu schliessen ist.”

## X.

Ex actione medicamentorum, physiologica quae vocatur, haud semper in actionem therapeuticam concludere possumus.

## XI.

Perperam OESTERLEN (Handb. d. Gencsesmiddelleer, p. 709) de oleo Je-  
coris Aselli loquens: „Den oordeelkundigen waarnemer schijnt het echter  
toe, dat dit middel in de drek-apotheek te huis behoort en zijne werking  
zeer goed door die van andere, minder walging verwekkende stoffen kan  
vervangen worden.”

## XII.

Sonis cordis foetus deficientibus, in eius mortem non semper concludere  
possumus.

## XIII.

Usus unculorum, quos commendavit MALGAIGNE in fractura patellae, fasci-  
arum usui praeferendus.



## XIV.

In indagationibus medico-forensibus omnia, quae praecesserunt, Medico cognita sint necesse est.

## XV.

Egregie BOERHAVIUS: „Nullum alimentum universali titulo salubre dici potest, et qui rogat quodnam est salubre alimentum, idem facit ac si quaereret, quisnam sit ventus secundus, non cognito itinere.”